Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

impietatis. et istorum incredulitatis. Namque audistis cum actus apostolorum legerentur quomodo multa crediderunt ex interfectoribus christi. Si crediderunt postea quam illum occiderant, non erant credituri quando paululum dubitabant. Et ipse tamen quod maxime debetis animadvertere et memorie vestre mandare. quia contra insidiosos errores deus voluit ponere firmamenta in scripturis. contra que nullus audet loqui. qui quomodo vult se videri christianum: cum se palpandum prebuisset. non illis sufficit. nisi de scripturis confirmaret cor credentium. Prospiciebat enim nos futuros. in quibus quod palpemus. nos non habeamus. et quod legamus habemus. Sicut enim propterea illi crediderunt quia tenuerunt et palpaverunt. nos quid faciemus. Iam christus ipse ascendit in celum. non est venturus nisi in fine. ut iudicet de vivis et mortuis. Unde credituri sumus. nisi unde et ipso palpante voluit confirmare. Aperuit enim illis scripturas. et ostendit eis quia oportebat pati christum. et impleri omnia que de illo scripta sunt in lege moysi. et prophetis. et psalmis. Omnem veterem textum scripturarum complexus est. Quicquid illarum scripturarum est. christum sonat. si sit aures inveniat. Et aperuit eis sensum. ut intelligerent scripturas. Unde et nobis hoc orandum est. ut ipse sensum nostrum aperiat. Quid autem ostendit dominus scriptum de se in lege moysi. et prophetis. et psalmis. Quid ostendit ipse breviter dicat. Hoc evangelista posuit. ut nos nossemus. quid in tanta latitudine scripturarum credere et intelligere debeamus. Certe multe sunt pagine et multi libri. hoc habent omnes quod dixit dominus discipulis suis. Quid est hoc. Quia oportebat christum pati. et resurgere tertia die. Habes iam de sponso. quia oportebat pati christum. et resurgere. Commendatur et nobis sponsus de sponsa. videamus quid dicit. ut tu cum cognoveris sponsam et sponsum. non sine causa voceris ad nuptias. Celebratio enim nuptiarum. omnis celebratio ecclesie. Nuptie celebrantur. ducturus est uxorem filius regis. et ipse filius regis rex. et qui frequentant. ipsi sunt sponsa. non quomodo in nuptiis carnalibus. alii frequentant ad nuptias. et alia nubit. In ecclesia qui frequentant. si bene frequentant sponsam faciunt. Omnis enim ecclesia sponsa christi est. cuius principium et primitie caro christi est. Ibi iuncta est sponsa sponso in carne. merito. et carnem ipsam cum commendaret panem fregit. meritoque in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum. et cognoverunt eum. Quid ergo dixit dominus scriptum esse de se in lege et prophetis et psalmis. Quia oportebat pati christum. Si non adderet et resurgere. recte illi plangerent quorum oculi tenebantur. Sed et resurgere predictum est. Et ut quid hoc. Quare hoc.